

lius pro formali, ratione cujus habet disgregare visum.

X. Dico igitur in nostro casu, quod in hac propositione: Homo est deitas, quamvis ly homo de formali significet humanitatem, tamen de materiali significat suppositum divinum, et supponit pro illo, secundum quam considerationem vere, et formaliter prædicabitur deitas de illo; facit enim hunc sensum: Verbum, aut suppositum divinum est deitas; quia tamen communiter accipitur subjectum illud homo, quatenus formaliter importat humanitatem in concreto, dicendum videtur, quod talis propositio sit vera solum in sensu identico, et sic explicanda erit: Homo est suppositum divinum, et illud: Est deitas, aut: Res quæ est homo de materiali, est res, quæ est deitas.

XI. Ex dictis apertum manet multas esse prædicationes, quæ dici possunt de Christo, non possunt affirmari de Filio Dei, nam de Christo affirmat fides, quod est: Persona composita ex duabus, et in duabus naturis: hæc autem non est propria, neque vera: Verbum Dei, aut Filius Dei est persona composita: et tota diversitas ortum habet ex diverso modo significandi terminorum, et similiter supponendi, quam quidem optime explicuit S. Thomas hic in corpore articuli, ubi ait, quod Christus importat divinitatem, et humanitatem, et non interest ex qua Christus substantia nominatur; atque adeo vere, et proprie prædicatur de illo, quod sit persona composita. At hoc nomen Verbum aut Filius Dei solum dicit formaliter divinitatem in supposito, et ideo de illo affirmari nequit quod persona composita sit.

XII. Sed forte argues: Bene sequitur: Filius Dei est homo, sed ille homo est compositus ex duabus naturis; ergo etiam Filius Dei est com-

positus. Respondetur, negando consequentiam; est enim virtualis appellatio variata in illo termino compositum; et ideo consequentia nulla est.

XIII. Tertia conclusio: Hæc propositio: Christus est humanitas, et divinitas simul sumptæ, non est propria, neque vera. De hac propositione late tractat Suarez disp. xxxv, sect. II, ubi postquam dixit, quod si accipiatur divisiva est falsa (in quo verum affirmat, sic enim damnata est in Concilio Constantiensi sess. XII et XV, inter errores Wiclephi) ultimo dicit, quod si subjectum huius propositionis sumatur pro persona composita ex duabus naturis, non est falsa. Contra hoc diximus in nostra conclusione semper esse falsam, et probatur, nam etiamsi subjectum sumatur pro persona composita, ita ut ex parte subjecti importetur ipsa natura humana, adhuc falsum erit dicere: Christus est humanitas, sicut est falsum dicere: Hic homo est humanitas, aut: Petrus est humanitas, quia humanitas est res realiter distincta a supposito, et ultra hoc est pars, atque adeo nequit verificari de toto.

#### SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XIV. Ad primum in principio respondetur, quod illi sancti patres ibi sumunt nomina abstracta pro concretis, nam etiam aliquando concreta pro abstractis accipiunt, ut patet in illis verbis citatis, Augustini et Ambrosii: « Tu ad liberandum suscepturus hominem, » id est, humanitatem; atque adeo, cum propositiones in sensu identico sint veræ, non admodum curant aliquando de rigore dialectico, bene tamen quando contra hæreticos est necessitas disputandi. Illa autem propositio: Divinitas est incarnata, non est

omnino constans ex tribus abstractis, nam illud nomen incarnata, concretum est, et includit Personam Verbi, quæ idem realiter est cum divinitate, et ideo propositio illa est vera in sensu identico, in quo sancti patres utuntur illa, ut docet S. Thomas infra quæst. xxxv, art. I ad primum, et ibidem magister Medina. In sensu autem formali, et in metaphysico rigore propositio non est vera, eo quod unio hypostatica non fuit facta in natura, sed in persona.

XV. Ad secundum respondetur negando antecedens, et ad probationem dico esse magnum discrimen inter compositionem entis physici naturalis, et compositionem repertam in Persona Christi Domini: nam in composito physico componentia habent se ut partes, quarum una est potentia, et altera est actus, et ideo ex conjunctione materiæ cum forma humana conflatur una humanitas, quæ in concreto prædicatur de Petro, et exinde verum est dicere, quod: Petrus est suæ partes simul sumptæ, et similiter quodlibet aliud compositum physicum. At divinitas, et humanitas respectu compositionis Personæ Christi non se habent ut partes (ut diximus supra quæst. II, art. IV) sed quælibet est ens actuale, et eatenus de Christo dicuntur, quatenus in concreto conveniunt ad componendam unam Personam Christi, quia utraque natura subsistit in illo, de quo etiam in concreto prædicatur. Humanitas autem in abstracto, nec etiam prædicatur de Petro (ut diximus in tertia conclusione) quia realiter distinguitur in illo natura, et subsistentia, et multo a fortiori nequit prædicari de Christo propter majorem distinctionem subsistentiæ divinæ a natura humana. Nec etiam erit vera si addatur humanitas, et divinitas simul sumptæ, quia particula illa si-

mul non dicit simultatem, qua illæ duæ naturæ in concreto, et ut subsistentes in una persona, componunt ipsam, sed dicit simultatem naturarum in abstracto inter se ipsas, et ideo propositio nec vera, nec propria esse potest.

XVI. Ad tertium respondetur ex his, quæ diximus post secundam conclusionem; hæc enim propositio: Homo est divinitas, concedenda est in sensu identico, eo quod ly homo ibi supponit pro Persona Filii Dei. Nec est eadem ratio de aliis abstractis, et ideo non sunt aliæ prædicationes admittendæ, verbi gratia, deitas est homo, etc.

XVII. Quod si argues: Bene sequitur per conversionem simplicem: Homo est deitas; ergo deitas est homo, respondetur negando consequentiam, quia regula conversionis simplicis intelligi debet, dummodo non committatur defectus diversæ applicationis significationis, aut interveniat diversa suppositio, et sic contingit in præsentibus, nam in hac propositione: Homo est deitas, supponit ly homo pro Filio Dei, de quo verificatur quod sit deitas, ut diximus. At in hac propositione: Deitas est homo, supponit ly deitas pro formali significato divinitatis, de qua verificari nequit quod sit homo, præcipue cum ly homo positus a parte prædicari stet pro formali significato humanitatis.

#### ARTICULUS VI.

*Utrum hæc sit vera: Deum factus est homo?*

I. Conclusio est affirmativa, et est expressa de fide, ut patet ex loco adducto a S. Thoma in argumento. Sed contra, et ad Romanos I dicitur de Filio Dei: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, et*

in symbolo Nysseno: « Et homo factus est, » et ad Galatas IV: *Misit Deus Filium suum in mundum factum ex muliere, factum sub lege, et ex multis aliis locis.*

II. Advertendum est autem parum referre, si dicamus: Deus factus est homo, aut Deus est homo factus, dummodo factus semper ponatur a parte prædicati, quia denotat factionem convenire ratione humanitatis, et in locis allegatis ly factus ponitur in posteriori loco, et homo factus est, Verbum caro factum est. Videte de hoc S. Thomam in III, dist. XI, artic. II ad tertium. Pro majori tamen luce conclusionis sit

DUBIUM UNICUM,

UTRUM CONCLUSIO S. THOMÆ IN RIGORE SERMONIS SIT VERA?

III. Partem negativam sustinet D. Bonaventura in III, dist. VII, art. I, quæst. II, ubi affirmat, quod hæc propositio: Deus factus est homo, in proprietate, et rigore sermonis non est vera. Et probat hac ratione, nam si in rigore sumatur talis propositio, denotat quod subjectum illud, quod est factum homo, sit mutatum; sed Deus, qui est subjectum hujus propositionis improprie dicitur mutatus; ergo etiam improprie dicitur, quod sit factus homo. Consequentia est nota, et minor communiter conceditur. Major vere probatur, nam illa propositio denotat, quod subjectum, quod est Deus, incipiat esse tale, scilicet homo, post non esse tale; ergo denotat esse mutatum.

IV. Confirmatur primo, quia si vere, et proprie dicitur: Deus factus est homo; ergo cum eadem proprietate dicitur: Deus factus est animal, vivens, corpus, substantia, ens, imo quod sit factus absque aliqua limitatione, si quidem tenet

consequentia ab inferiori ad suum superius affirmative. At neutiquam concedi potest absolute, quod Deus sit factus; ergo nec etiam concedi potest vere, et proprie, quod sit factus homo.

V. Confirmatur secundo, quia hæc propositio conceditur absolute: Deus non est factus; ergo etiam hæc debet concedi: Deus non est factus homo. Probatur consequentia, quia tenet a superiori ad suum inferius negative, sicut si dicamus: Non est animal; ergo est homo.

VI. Secundo arguitur, et est replica ad solutionem ad secundum S. Thomæ; Deum fieri hominem est acquirere esse absolutum, et non relativum; esse enim hominem non est ad aliquid, sed de prædicamento substantiæ; ergo si esset verum dicere, quod: Deus factus est homo de novo, etiam diceretur acquisisse esse absolutum, et consequenter, quod vere sit mutatus: nam quod acquirit esse absolutum, et substantiale post non esse vere mutatur; hoc autem nequit dici de Deo proprie; ergo nec etiam, quod proprie factus sit homo. Alia argumenta videantur apud magistrum Cabrera hic, sed tamen ex solutione horum duorum omnia alia soluta remanebunt.

VII. Conclusio: Propositio illa: Deus factus est homo, est vera in omni rigore, et proprietate sermonis. Hæc est communissima inter omnes discipulos S. Thomæ, et probatur optime ratione ejus, quia verissime, et propriissime dicitur unumquodque esse factum illud quod de novo incipit prædicari de illo, quia est revera tale de novo; sed esse hominem verissime, et propriissime prædicatur de Deo, ut diximus late articulo primo hujus quæstionis contra Durandum; ergo verissime, et propriissime dicitur, quod Deus factus est homo.

SOLVUNTUR OBJECTA.

VIII. Ad primum respondisse fertur magistrum Victoriam quod vere, et proprie concedi poterat Deum esse mutatum, sicut vere, et proprie dicitur, de novo genitus, aut passus, et ratio ejus erat, quia gigni est mutari de non esse ad esse, et mori est mutari de esse ad non esse. Addebat tamen vere posse concedi Deum esse mutatum, non quia in se ipso mutatur, sed dicebatur mutari per communicationem idiomatum.

IX. Hæc tamen solutio non est admittenda, eo quod sancti patres absolute, et sine addito concedunt hanc: Deus est mortuus, aut genitus, alteram autem: Deus est mutatus, nunquam sine addito illam affirmant, et ratio discriminis debet fundari in eo, quod S. Thomas affirmat hic solutione ad secundum. Quod cum esse hominem prædicetur de Deo ratione unionis, quæ in ipso Deo intrinsece tantum ponit relationem, eamque rationis, et in humanitate relationem realem, atque adeo tota mutatio se teneat ex parte humanitatis, nunquam concedi debet absolute, et sine addito, quod Deus est mutatus. Mori autem cum solum dicat privationem vitæ, et revera fuerit amissio vitæ humanæ in Christo, vere dicitur mortuus: et etiam gigni, quod nihil aliud est, quam naturam humanam produci in supposito, sive illud suppositum sit de novo etiam productum, ut contingit in nobis, sive sit antiquum, et de novo communicetur tali naturæ, ut contingit in mysterio incarnationis.

X. Quare recte dicitur a S. Leone, et ab aliis sanctis patribus, quod assumptio tribuit ultimum complementum generationi Christi, et etiam creationi animæ ejus, quia per as-

sumptionem communicatur naturæ humanæ esse subsistentiæ, et existentiae divinum loco propriæ existentiae, et subsistentiæ, ad quas terminabatur generatio, et creatio animæ. Videatur pro majori luce hujus differentiæ regula S. Thomæ quæstione XXIX de veritate, art. I ad primum, ubi ait, quod cum in creatis quædam res convenient ratione naturæ, et aliæ ratione suppositi, vel ratione ipsius esse, quod est proprium suppositi, quando hæc ad Christum transferuntur, illa quæ supposito conveniunt ratione naturæ humanæ, de illo simpliciter dicuntur; ea vero quæ nata sunt convenire ratione suppositi, non nisi cum addito. Unde cum mutari sit fieri de non esse ad esse, quod est proprium suppositi, absolute non dicitur de Deo, mori vero, vel gigni temporaliter dicunt mutationem ex parte naturæ, prout scilicet alterum importat formam advenire naturæ; alterum vero recedere ab ea, quod est naturam constitui, vel dissolvi, et ideo absolute prædicari possunt de Deo.

XI. Quod si rursus arguas: Quia tam gigni, quam mori, mutari, aut creari, est suppositi ut quod; ergo sicut hoc non obstante dicitur: Deus genitus, et mortuus, sic etiam dicitur: Factus et mutatus.

Respondetur antecedens verum esse, sed tamen diversimode, si attendamus ad primam radicem, unde hæc conveniunt supposito; quædam vero conveniunt ratione essentiæ, qua constituitur natura, alia vero ratione existentiae, quæ est actus suppositi.

XII. Ad confirmationem respondetur negando consequentiam quoad ultimas partes per propositiones absolutas; licet enim verum sit, quod fiat homo de novo, et animal, imo substantia, et ens, quod est homo, tamen absolute nequit concedi:

Deus factus est substantia, aut : Factus est ens. Unde quamvis illa consequentia videatur tenere ab inferiori ad suum superius affirmative, virtualiter tamen negative, propter imbibitam negationem in termino a quo; fit enim homo ex non homine, et substantia ex non substantia, et ens ex non ente; quare istæ ultimæ falsæ sunt. Habet ergo defectum consequentia illa a distributione inferioris ad distributionem superioris virtualiter: quando enim dicitur: Fit homo, significat, quod ante non erat homo, et quando dicitur: Fit substantia, aut ens, denotatur, quod ante non erat substantia, neque ens.

XIII. Ad confirmationem secundam respondetur consequentiam illam non tenere a superiori ad suum inferius negative, sed a dicto simpliciter ad secundum quid negative, quæ est mala consequentia, sicut si diceremus: Homo non fit simpliciter, quando jam antea erat in rerum natura; ergo non fit doctus, aut non fit musicus, si de novo accipit doctrinam, aut musicam, negatur consequentia.

XIV. Ad secundum respondetur negando majorem, quia recipere esse absolutum dupliciter contingere potest: uno modo subjective, altero modo terminative. Primum est acquirere esse in materia per transmutationem ipsius subjecti: secundum autem est acquirere esse in persona, aut personam acquirere illud esse. Et est magnum discrimen inter utrumque, quia acquirere esse subjective dicit mutationem in subjecto ipso, quod per transmutationem sui tale esse acquirit: acquirere esse terminative non dicit mutationem in subjecto terminante, sed in natura terminata. Sic ergo in mysterio incarnationis dicimus, quod Verbum divinum ab æterno præexistens de novo fieri hominem,

aut acquirere esse humanum (quod quidem est esse absolutum, et non mera relatio) non est mutari in se ipso, quia non fit homo per transmutationem personæ, sed sola terminatione naturæ humanæ incipiendo de novo subsistere in illa; tota vero mutatio se tenet ex parte naturæ humanæ.

XV. Si autem adhuc instes: Quia denominatio ab humanitate est realis, et absoluta, et a forma substantiali; sed omnis denominatio absoluta, et substantialis nequit alicui advenire sine reali mutatione ipsius; ergo fieri hominem nequit Deo advenire absque ipsius mutatione.

Respondetur ex doctrina S. Thomæ hic solutione ad secundum et articulo primo hujus quæstionis, solutione ad quartum, quod quando forma substantialis est absoluta, et denominat per modum absoluti, semper infert mutationem in subjecto denominato, quia etiam suppositum talis naturæ fit de novo. Si autem non denominat per modum absoluti, sed per modum relativi, non infert mutationem in subjecto denominato, et sic contingit in mysterio incarnationis. Sicut enim aliquis fit dexter per solam mutationem ejus, qui fit illi a sinistris, ita etiam Filius Dei factus est homo terminando naturam humanam per solam mutationem ejus, quæ de novo unitur illi in Persona. Tunc vero denominat natura humana absolute quando fit in proprio supposito sibi connaturali per transmutationem ejus, et perficendo illud. Suppositum autem divinum, cum antea fuisset, nec ab humanitate perficitur, nec denominatur nisi ad modum relativi.

## ARTICULUS VII.

*Utrum hæc fit vera: Homo factus est Deus?*

I. Prima conclusio: Si participium factus accipiatur, ita ut determinet absolute subjectum, vel prædicatum illius propositionis, tunc est falsa hæc propositio: Homo factus est Deus. In quo sensu etiam hæc est falsa: Deus factus est homo, non autem quæritur in præsentem in tali sensu de istis propositionibus.

II. Secunda conclusio: Si ly factus determinet compositionem, ita ut sit sensus homo factus est Deus, id est, factum est, ut homo sit Deus, sic utraque propositio est vera: sed non est iste proprius sensus istarum propositionum.

III. Tertia conclusio: Si propositio illa accipiatur in sensu proprio, quatenus participium factus ponit fieri circa hominem in respectu ad Deum, sicut ad terminum factionis, sic illa propositio: Homo factus est Deus, est falsa.

## DUBIUM UNICUM.

DE VERITATE PRÆDICTÆ PROPOSITIONIS.

IV. Partem affirmativam tenet Scotus in III, distinctione VII, quæstione II, et in favorem illius primo arguitur: Quia hæc propositio: Homo factus est Deus, nihil aliud significat, quam quod per divinam actionem, factum sit ut homo sit Deus; sed sensus iste verissimus est; ergo et illa propositio.

V. Secundo arguitur: Bene sequitur per conversionem simplicem: Deus factus est homo; ergo homo

factus est Deus, sed antecedens est verum, ut patet ex resolutione articuli præcedentis; ergo et consequens.

VI. Conclusio: Illa propositio: Homo factus est Deus absolute est falsa. Hanc tradit S. Thomas in præsentem, imo et D. Cyrillus libro de incarnatione Unigeniti, cap. XI, ubi ait: « Dicimus Deum factum esse hominem, non tamen hominem factum esse Deum. » Et probatur, quia ut dicit S. Thomas in hoc articulo, solutione ad quartum, subjectum in propositione accipitur materialiter, prædicatum vero formaliter, unde sensus illius propositionis est: Suppositum quod est homo, quod est idem cum supposito, quod est Deus, de novo accipit deitatem; sed iste sensus est hæreticus; ergo propositio ad minus est falsa. Probatur major, quia casu quod modo Petrus accipiat albedinem de novo, ideo hæc propositio erit falsa: Hoc album factum est Petrus, quia denotat factionem convenire supposito, non ratione formæ subjecti, sed ratione formæ prædicati, alias enim propositio esset vera, sicut in eodem casu, hæc est vera: Petrus factus est albus, quia denotat factionem convenire Petro ratione formæ prædicati.

VII. Secundo probatur conclusio, quia bene sequitur: Hic homo factus est Deus, sed hic homo est Filius Dei; ergo Filius Dei factus est Deus. Consequens est hæreticum; ergo et antecedens est falsissimum; non pro minori, ergo pro majori.

VIII. Ad primum argumentum respondetur sensum propositionis ibi relatum non esse proprium ejus, sed potius quod suppositum divinum sit de novo factum Deus, quod est falsissimum.

IX. Ad secundum respondetur negando, quod illa consequentia teneat per conversionem simpli-